

possunt denuntiari ab episcopo, ut ab aliis evitentur. An ab episcopo etiam possint excommunicari, suspendi, vel interdici? — Quando regulares ob notorium delictum in excommunicationem inciderunt, possunt ab episcopo publice denuntiari excommunicati, ut ab aliis evitentur. Ita censuisse sacra Congregationem, refert Fagnanus loc. cit. num. 75. Quamquam alioquin regulares exemptos non posse excommunicari, suspendi, vel interdici per episcopum, satis caveatur, in cap. I, § *In eo vero, de Privileg.* in 6.

124. VII. *Regulares in conventibus, ubi non sunt duodecim ipsorum, subsunt jurisdictioni episcopi.* — Monasteria, conventus, aliaque loca regularia posthac recipienda, in quibus duodecim religiosi ex redditibus, vel consuetis elemosynis competenter sustentari, atque inhabitare non poterunt, et actu non inhabitaverint, ordinarii loci visitationi, correctioni, atque omnimodæ jurisdictioni subjecta esse intelliguntur. Ita patet ex decreto Urbani VIII de *Celebratione missarum*, quod incipit, *Cum sæpe contingat.* § *Deinceps*, edicto anno 1625, ac refertur tom. IV *Bullarii Romani*, constitut. 45 ejusdem Pontificis. In quo decreto bene nota clausulam illam: « posthac recipienda: » nam secus dicendum de locis regularibus exemptis, et antea jam receptis, cum circa hæc nihil reperiatur innovatum.

125. VIII. *Monasteria de cætero erigi non possunt sine licentia episcopi.* — Insuper monasteria tam virorum, quam mulierum, de cætero erigi prohibentur sine episcopi, in cujus diocesi erigenda sunt, licentia prius obtenta. Ita concilium Trident. sess. 23, cap. III, de *Regularib.* Quo decreto regulares subiciuntur auctoritati episcopi loci quoad erectionem novorum monasteriorum, ut patet: simulque revocatur prohibitio Bonifacii VIII, in cap. I, de *Excess. prælat.* in 6. inhibentis mendicantibus, ne recipiant nova loca ad habitandum absque Sedis apostolicæ licentia; et Clement. *Cupientes*, § 1, de *Pænis*, id ipsum statuentis, prout censuit sacra Congregatio, et notat Fagnanus in cit. c. *Grave*, n. 53, de *Offic. ordinari.*

126. IX. *Regulares tenentur publicare, et servare censuras, et interdicta ab ordinariis promulgata, mandante episcopo.* — Regulares non solum censuras, et interdicta a Sede apostolica emanata, sed etiam ab ordinariis promulgata, mandante episcopo, in suis ecclesiis publicare, et servare tenentur. Ita concilium Tridentin. cit. sess. 23, cap. XII, de

*Regular.* Unde sequitur, quod regulares, quantumvis exempti, non solum teneantur servare episcoporum interdicta, ita ut non celebrent scienter in loco interdicto, (nisi quatenus super hoc sunt privilegiati, aut a jure conceditur, c. *Is qui*, 18, § fin. de *Sentent. excomm.* in 6.) sed nec possint facere quod ab aliis celebretur in locis ita interdictis, neque possint excommunicatos ad divina vel ecclesiasticam sepulturam admittere, c. *Cum et plantare*, § *Excommunicatos, de Privileg.*, et c. *Episcoporum*, 8, eod. in 6.

127. X. *Atque observare dies festos ab eisdem præceptos; et qua ratione?* — Insuper dies festos, quos in diocesi sua servandos episcopus præcepit, regulares, etiam exempti, servare tenentur. Ita concilium Tridentin. cit. cap. XII. Verumtamen sacra Congregatio concilii censuit, hoc ita esse intelligendum, ut regularium ritus illis festis semper permaneant quoad missas, et cætera divina officia, tam publice, quam privatim in eorum Ecclesiis celebranda: quoad conciones tamen, et lectiones, quas iidem regulares ad populum habuerint, debent se conformare evangelis et epistolis, quibus utitur clerus sæcularis illis diebus festis. Atque hanc sacre Congregationis declarationem per extensum refert Barbosa cit. allegat. 105, numer. 34, post Quarantam in *Summa Bullarii*, § *Privilegia regularium*, et alios.

128. XI. *Tenenturque ad publicas processiones accedere vocati.* — Regulares, etiam exempti, ad publicas processiones vocati accedere tenentur, possuntque ad hoc per episcopos compelli, iis tantum exemptis, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt. Ita concilium Tridentinum cit. sess. 23, cap. XIII, de *Regularib.*

129. *Nisi distent per dimidium milliare aut sint specialiter excepti.* — Ubi tamen notandum est, quod ab obligatione accedendi ad publicas processiones, non solum eximantur illi religiosi, qui in strictiori clausura perpetuo vivunt, ut loquitur citatum concilium; sed de facto etiam illi regulares, qui per dimidium milliare (italicum) abscut a civitate: hos enim successu temporis exemit Gregorius XIII, ut refert Fagnanus ubi supra, num. 68, ac proin tales non tenentur accedere, nec possunt ab episcopo ad hoc compelli, prout decisisum referunt Barbosa part. III, de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 78, num. 21; Lauretus de Franchis, cit. part. I, de *Controvers. inter episcop. et regular.* n. 64; Piasecius, *Lezana*,

et alii. Idem fallit in regularibus speciale privilegium habentibus, ut non teneantur ad processiones ire: quales sunt Patres societatis Jesu, Carmelitæ discalceati, Clerici regulares congregationis sancti Pauli, canonici regulares, monachi Cassinenses, et nonnulli alii. Barbosa, loc. cit. num. 23.

130. XII. *Episcopus componit controversias omnes de præcedentia in processibus inter regulares.* — Controversias omnes de præcedentia quæ sæpe cum scandalo in publicis processibus, aut defunctorum corporibus sepeliendis oriuntur, episcopus, amota omni appellatione, et non obstantibus quibuscumque, componere debet. Ita rursus concilium Trident. cit. sess. 23, cap. XIII, de *Regular.* et amplius explicat Emman. Rodericus tom. III *Quest. regul.* quæst. 37, art. 3, et Ascanius Tamburinus, tom. III, de *Jure abbatum*, disp. 5, quæst. 11, n. 81.

131. XIII. *Regulares subiciuntur episcopis in omnibus, quæ sunt ordinis episcopalis.* — Regulares, quomodocumque exempti, subiciuntur episcopis in iis omnibus, quæ sunt ordinis episcopalis: ut in petitione chrismatum, consecratione Ecclesiarum, susceptione ordinum et hujusmodi, c. *Veniens*, 19, § *Chrisma*, de *Præscript.* Unde non possunt ordines recipere, nisi ab episcopo illius loci, in cujus diocesi eorum monasteria existunt, juxta concilium Trident. sess. 23, cap. X, de *Reformat.*, nisi habeant speciale privilegium ab Apostolica Sede, ut a quocumque catholico antistite ordinari valeant. Pirhing, h. t. num. 144, et alii, estque amplius dictum supra tit. II, de *Temporibus ordinationum.* § 5, num. 132 et 136.

132. XIV. *Episcopi habent jurisdictionem super regulares, quomodolibet exemptos, in concernentibus curam animarum quam exercent.* — Episcopi super regulares quomodolibet exemptos, etiam ordinis sancti Joannis Hierosolymitani, habent tanquam Sedis apostolicæ delegati jurisdictionem, et auctoritatem in concernentibus curam animarum quam ipsi exercent. Patet hoc ex constitutione 136, beati Pii V. *Exposcit.*, die 22 septembris 1571 emanata (ac refertur tom. II *Bullarii Romani*), juncta constitutione 18, Gregorii XV, quæ incipit, *Inscrutabili*, et habetur tom. III dicti *Bullarii*.

133. XV. *Regulares non possunt confessiones sæcularium audire sine approbatione episcopi.* — Nullus, etiam regularis exemptus, potest confessiones sæcularium audire nisi paro-

chiale beneficium habeat, aut ab episcopis per examen, si illis videbitur necessarium, aut alias idoneus judicetur, et approbationem obtineat. Concilium Trident. sess. 23, cap. XV, de *Reformat.* Concordat decretum Alexandri VII, die 21 septemb. 1665 emanatum, et sequentem inter alias propositionem ordine 13 damnans: « Satisfacit præcepto annuæ confessionis, qui confitetur regulari episcopo præsentato, sed ab eo injuste reprobato. »

134. XVI. *Si assistunt matrimonio sine licentia parochi, ipso jure suspenduntur, donec ab ordinario ejus absolvantur. Et sunt suspendendi, quando non præmissis denuntiationibus matrimonio contrahendo assistere præsumunt.* — Quicumque sacerdos, sive regularis, sive sæcularis, alterius parochiæ sponso sine illorum parochi licentia matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus existit, quamdiu ab ordinario ejus parochi absolvatur. Ita concilium Tridentinum sess. 24, cap. I, de *Reform. matrim.* Eos etiam regulares, vel parochos qui, non præmissis denuntiationibus matrimonio contrahendo assistere præsumpserint, per triennium suspendendos esse decernitur in c. *Cum inhibito*, § fin. de *Clandest. desponsat.*

135. XVII. *Episcopi possunt prohibere, ne sæculares, vel juri, privatis in domibus missas celebrent.* — Episcopi, etiam ut delegati Sedis apostolicæ, possunt prohibere, ne privatis in domibus, atque omnino extra ecclesiam, et ad divinum tantum cultum dedicata oratoria, sacrificium missæ a sæcularibus, vel regularibus quibuscumque peragatur. Ita concilium Trident. sess. 22, « in Decreto de observandis et evitandis in celebratione missæ, » ubi insuper ordinarii locorum, et episcopi, etiam ut delegati Sedis apostolicæ, ea omnia prohibere, atque e medio tollere jubentur, quæ vel avaritia, idolorum servitus, vel irreverentia, quæ ab impietate vix sejuncta esse potest, vel superstitio, veræ pietatis imitatrix induxit; prout ibidem amplius per singula declaratur.

136. *Ex justa tamen causa possunt concedere facultatem celebrandi extra ecclesiam.* — Ex justa tamen causa posse episcopum concedere facultatem celebrandi extra ecclesiam, vel alium locum sacrum, non obstante dicto decreto, utpote quod solum prohibet pro libitu et sine justa causa ita celebrari, resolvunt Navarrus consil. 5, de *Privileg.* numer. 2, et Barbosa, part. II, de *Offic. et potest. episcop.* allegat. 23, num. 8 et 9, ac novissime Petrus

Franciscus Passerinus, in tract. de Pollutione ecclesiarum, disp. 2, cap. ix, num. 3 et 5, citans plurimos alios. Ratio est: quia antiquitus iam erat concessum, in casu necessitatis, nempe moralis; absoluta enim necessitas celebrandi extra locum sacrum, intervenire requirit, ut probat Pasqualig. decis. 167, n. 4, relatus a Passerino cit. n. 3.) seu alia rationabili de causa missam celebrare super altare portatile, ac sub dio, vel in tentoriis, can. *Concedimus, de Consec. dist. 1.* Tum quia concilium, loc. cit. solum loquitur de communi modo celebrandi, nempe pro libitu, ac cessante alia justa causa: non vero abstulit episcopis potestatem rationabiliter dispensandi, jure communi eis competentem.

137. *Et tacentibus episcopis, hodie possunt regulares uti suis privilegiis celebrandi ubique cum altari portatili.* — Insuper quod tacentibus, et non contradicentibus episcopis possint hodie regulares uti suis privilegiis, quæ Fratribus Prædicatoribus et Minoribus concessa olim fuerunt, celebrandi ubique cum altari portatili, sine parochialis tamen juris præjudicio, c. *In his, 30, de Privileg. resoluunt* Emman. Rodericus, tom. I. *Quæst. regul. q. 43, art. 5;* Portel, in *Dubiis regul. §. Altare, n. 1;* Joan. de Lugo, tract. de *Eucharist. disp. 20, sect. 2, n. 15;* ac novissime Bernardus Sanning in *Schola theologica, tom. III, tract. de Sacramentis, dist. 5, quæst. 11.*

138. *XVIII. Non licet regularibus sanctissimum Eucharistia sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa per episcopum approbata.* — Non licet regularibus, etiam in propriis ecclesiis, sanctissimum Eucharistia sacramentum publice adorandum exponere, nisi ex causa publica quæ sit probata ab ordinario. Ita decrevit sacra Congregatio rituum, 26 februarii 1628, ac refert Angelus Lantusca in *Theatro regularium, §. Eucharistia, n. 1;* et Fagnanus in *c. Grave, 77 h. t.*

139. *Bene tamen in pixide.* — Dicitur notanter, « publice adorandum exponere » id est cum solemnitate, seu in monstrantia ut sacra Hostia videri possit. Nam secus dicendum de expositione sanctissimi Sacramenti in ostiolo tabernaculi, aut in pixide velata eum luminibus ita ut ipsa sacra Hostia videri non possit: hoc enim potest a regularibus fieri etiam ex causa privata et absque alia licentia ordinarii. Lantusca, loc. cit. n. 2, allegans Congregationem episcoporum 7 septembris 1598; et Fagnanus ubi supra.

140. *XIX. Regulares extra claustrum non*

*possunt facere processiones, sine licentia ordinarii: bene tamen intra claustrum.* — Regulares extra claustra, et ambitum suorum monasteriorum, non possunt facere processiones sine licentia ordinarii; et si secus attemptetur (nisi consuetudine, aut privilegio id ab eis fuerit obtentum) possunt puniri, ac impediri ab ordinario. Ita Zerola in *Praxi episcopali, §. Processio, § Ad quartum*, id probans ex can. *Certum est quidem, de Consec. dist. 1;* Barbosa, part. III. *de Offic. et potest. episcop. allegat. 105, n. 77, et alii.* Accedit ratio; quia regulares id præsumentes, hoc ipso delinquent extra claustra, tum transgrediendo citatum canonem, tum violando jus ac territorium episcopi, qui est iudex ordinarius in tota diocesi, can. *de Persona, 11, q. 1.* Intra claustra tamen, et ambitum suorum monasteriorum, bene possunt religiosi facere processiones irrequisito ordinario; quia ibi habent suum territorium, non vero extra, Zerola, loc. cit.

141. *XX. Episcopi tenentur clausuram sanctimonialium restituere; aut ubi inviolata est, conservare.* — Episcopis universis districte, et sub obstatione divini iudicii, ac interminatione maledictionis æternæ, præcipitur tum in *c. Periculoso, § Et quoniam, de Statu regul. in 6,* tum rursus in concilio Trident., sess. 20 cap. v *de Regularib.* ut in omnibus monasteriis sibi subjectis, ordinaria, in aliis vero, seu ad Romanam Ecclesiam immediate spectantibus, Sedis apostolicæ auctoritate, clausuram sanctimonialium, ubi violata fuerit, diligenter restitui, et ubi inviolata est, conservari maxime procurent; inobedientes, atque contradictores per censuras ecclesiasticas, aliasque poenas, quacumque appellatione postposita, compescendo, invocato etiam (si opus fuerit) auxilio brachii sæcularis. Unde quoad hoc regulares, etiam exempti, subsunt jurisdictioni episcoporum.

142. *XXI. Monasteria sanctimonialium, Sedi apostolicæ immediate subjecta (nisi regantur a regularibus) gubernantur ab episcopis quoad spiritualia.* — Monasteria sanctimonialium sanctæ Sedi apostolicæ immediate subjecta (his exceptis, quæ a deputatis in capitulis generalibus, vel ab aliis regularibus reguntur) ab episcopis, tanquam diætæ Sedis delegatis, gubernantur, non obstantibus quibuscumque. Ita concilium Trident. cit. sess. 25, cap. ix, *de Regularib.* Quod tamen esse intelligendum de gubernio spirituali, non de temporali, refert decisum Barbosa in colle-

tan. ibid. numer. 3 post Armendarum, lib. VII. *de Relig.* num. 93.

## § VI.

REFERUNTUR ALII CASUS, IN QUIBUS REGULARES EXEMPTI EPISCOPIS SUNT SUBJECTI.

143. *XXII. Regulares sunt subjecti episcopis quoad editionem librorum, utpote per ipsos examinandum, et approbandum.* — Regulares sunt subjecti episcopis quoad editionem librorum; quia præter appositionem proprii nominis, licentiam suorum superiorum, recognitis per eos libris, juxta formam suarum ordinationum, nequeunt absque examinatione et approbatione ordinarii, in scriptis danda, atque in fronte libri apponenda, libros de rebus sacris imprimere, vel imprimi facere. Ita sub pœna anathematis, et alia pecuniaria in transgressores statuta, sancitur in concilio Lateranensi, sub Leone X celebrato, sess. 10, et etiam in Tridentino, sess. 4, in *Decreto de Editione librorum*: ubi etiam diætæ pœnæ extenduntur ad eos, qui scripto tales libros communicant, vel evulgant (prout interdum libri nondum typis mandati solent de integro transcribi et aliis impertiri) nisi antea examinati, probatique fuerint.

144. *Quid dicendum de lectionibus, disputationibus, vel concionibus?* — Dicitur notanter, « libros de rebus sacris. » Nam, quamvis Fagnanus in cit. *c. Grave, num. 40, h. t.* ex quadam declaratione cardinalium doceat, sub diætâ constitutione utriusque concilii etiam contineri lectiones, disputationes, conciones et alia hujusmodi; nihilominus alii volunt id intelligendum esse de libris, utpote de quibus poenalia ultra suam propriam significationem extendi non debent: non autem de aliis, præsertim quando nulla subest fraudulentæ, pravæ intentionis, vel perversitatis suspicio. Ita Azorius, part. I, lib. VIII, cap. i, quæst. 4, id etiam comprobans ex usu ubique locorum recepto, ut orationes, prælectiones, et hujusmodi, sine nomine auctoris scripto aliis communicentur.

145. *XXIII. Regulares sine ordinarii licentia novas indulgentias publicare nequeunt.* — Regulares, et quicumque alii, indulgentias, quas a summo Pontifice impetrarunt, sine ordinarii licentia publicare non possunt; sicque quoad hoc subsunt ejus jurisdictioni. Ita Zerola, in *Praxi episcopali,*

part. I, §. *Indulgentia, § Ad tertium;* Barbosa part. III, *de Offic. et potest. episcop.* allegat. 105, num. 69; Pirbing, h. t. n. 115, cum aliis, idque desumitur ex concilio Trident. sess. 21, cap. ix, *de Reform.* et sess. 25, in *Decreto de Indulgentiis*, juncta declaratione cardinalium, cujus meminit Bonacina, tom. III, disp. 2, *de Bulla Cænæ*, quæst. 3, punct. 30, n. 9, et Zerola ubi supra, atque Barbosa part. I, *de Officio parochi*, cap. xvi, num. 19, ipsam verbatim referens. Quod tamen intellige, non de indulgentiis olim regularibus per summos Pontifices concessis, sed aliis de novo concessis, ut notat citatus Bonacina.

146. *XXIV. Subsunt regulares episcopis quoad officium prædicationis; et quomodo?* — Insuper regulares de facto subsunt episcopis quoad officium prædicationis: nam præterquam quod a suis superioribus de vita, moribus, et scientia debeant esse examinati, approbati, et admissi in ecclesiis sui ordinis sine petita benedictione episcopi, in ecclesiis vero, quæ suorum ordinum non sunt, sine habita episcopi licentia prædicare non possunt. Ita concilium Trident., sess. 5, cap. ii, § *Regulares vero, de Reform.* quamvis, ut in ecclesiis sui ordinis possint prædicare, sufficiat petita benedictio episcopi, licet non obtenta, dummodo non accedat expressa ejus prohibitio. Fagnanus in *d. c. Grave, n. 42, h. t.* et alii.

147. *Idem contradicente episcopo ne quidem in ecclesiis sui ordinis prædicare possunt.* — Et notanter hoc ultimum additur: nam contradicente episcopo, ne quidem in ecclesiis suorum ordinum regulares prædicare possunt: uti expresse, atque addita clausula generali derogatoria privilegiorum, habetur in concilio Tridentino, sess. 24, cap. iv, *de Reform.* Neque hoc decretum concilii est contrarium priori; quia aliud est, benedictionem non concedere; aliud, expresse contradicere; si quidem in priori habet se episcopus mere negative, in posteriori autem exercet actum positivum interdicens prædicationem. Fagnanus cit. n. 42, prædicta amplius declarans adducto Brevi Urbani VIII, die 30 januarii 1629 emanato.

148. *XXV. Si prædicator errores, vel scandala disseminaverit in populum, episcopus ei prædicationem inhibeat: si vero hæreses, episcopus contra eum, quantumvis exemptum, procedat ut delegatus Sedi apostolicæ.* — Si vero, quod absit, prædicator errores, aut scandala disseminaverit in populum, etiamsi